BREVIS

DE PESTILENTIÆ MORBO CONSOLATIO,

In vſum eorum, qui Dei imperium recuſant, & ad malum hoc, grauioribus ſe curis & querelis onerant, recens, ac populariter conſcripta,

Per Iacobum Braſſicanum Cool, Roterodamum.



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex officina Ioannis Paetſij.

Anno CIƆ. IƆ. LXXXIV.

Chariss. Cognato, Ewoldo Grasvinchel I. Brass. maior Avunculus, in μνημόσυνον amoris

Seneca lib.18.Epist.cap.CVII.

IMperetur æquitas animo, & sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hyems frigora adducit, algendum est. Æstas calores refert, æstuandum est. Intemperies cœli valetudinem tentat, ægrotandum est. Et fera nobis aliquo loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus. Alium aqua, alium ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus: Id possumus, magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ consentiamus.

Idem.

Optumum est pati quod emendare non possis, & Deũ, quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari.

AMPLISSIMO SENATVI, P. Q. TAM GOVDANO, QVAM ROTERODAMO,

Iacobus Brassicanus Cool, Roterodamus, S. D. P.

CVm ad integritatem & mentis rationem perfectam, quæ æternum nomẽ decusque procurat, hominum animos adeo nihil accendit, Viri Amplissimi, quam gloria & merces rerum bene gestarũ, penitusq; in omni sensu implicata insidet boni imitatio, vt egregia quælibet aliorũ exempla, quosdam sequi nõ solum, verum etiam diligenter transcẽdere, sæpe eadem & superare animaduertamus, atque hæc æmulatio ex virtute proficiscitur (vnde Reipub. ingens emolumẽ-

tum accedit) quò paulatim iterũ humanitatis ſtudia efflorefcerent (quæ temporis diuturnitate exſtincta videbantur) nihil prius cœpi cõſilij, quam ſi indoctus ſcribẽdo, doctiores ad tale capeſſendum opus prouocarẽ, quod non minus patriæ quam huic municipio profuturum eſſet, & orationis elegantia, & materiæ vel inuentionis grauitate pręcelleret. Nã cum doctiſſimorum facilè princeps omnium virorũ Eraſmus Roterodamus, & Guiliclmus Goudanus, pari ingenio, pari pietate percelebris, ac tantus, vt merito auræus à quovis dici poſſit, ambo Patriæ tantum decoris ſua eruditione attulerint, vt ob hoc ipſum, in oculis exterarum gentium, ex omnibus mirabilibus huius Prouincię ciuitatibus, his duabus, nulla ſit laudabilior, poſt tanta temporum ſpatia (quibus nunquam

quam egregiè aliquis ſtuduit, nominis eorum famam ampliare, & vt tam laudabile vtrique cõſeruemus nomẽ) nonne iam opus eſt (etſi quamplurima, communis Patrię calamitas, ingenia ſuppreſſit) tamen oriri, qui Penates iſtos, per quos habemus ſciẽtiam, per quos vitæ, morumq́ue integritatẽ poſſidemus (quippe quandc imitari non datur) ſaltem referre aliquo modo videbuntur? Hanc ego mecum rationẽ reputans, dum eruditorum tanta nunc, quanta nunquam alias, copia elucet, quibus ſumma rationis vis ineſt, & domi mens inſigniter viget, adhæc ne modo nominatiſſimorum illorum virorum fragrantia mella non redolere, & vt in Serypho ranę, ita hic mutas hodie Muſas, quis aduerſarius diceret (quæ animaduerſio, in nobis ſumma ignominia eſſet) in hoc ego

ſtatui laborare, vt a Patria mihi longè chariſſima, & a Municipio ſic mihi charo, vt nihil ſit charius (in quod humaniter a vobis receptus ſum) tantum dedecus auerterem. Igitur dato negotio mihi hoc feci opuſculum, vt tota doctiſſimorum virorũ prouolet mecum acies: Quod mihi diſpicienti cui potiſſimum dedicarem; & Patria ſeſe obtulit, quæ vt me a paruulo educaſſet, in aures dicebat, hic enim dilectiſſimus parens, Gerardus Cool, Amplitud. v^æ ſat cognit⁹, nuper vita functus, iacet: hic Cornelius Fabius, egregius in docendo artifex ſuperſtes, qui me primus, primis literarũ elementis imbuit, & Gouda, æquè mihi ac Patria accepta, prædulcis ſolo, totaq; Repub. legibus, moribus, ac inſtitutis maiorum excedens, è qua hic fœtus tanquã fundo ita fœcundo prouenit, cuiuſq;

iam factus ſum particeps municipij. Quibus dum omnia, quæ in me ſunt, debere exiſtimabam, non tam Patriæ, quæ ampliſſimum in me habet ius, quam vobis pariter, in eo authoritatē prærogatiuæ non ſecutus, magna animi cum beneuolētia, laborum meorum primitias offero. Vos autem, Viri Ampliſſimi, præcor omnes, quando hæc beneuole fiunt, amicè accipiatis, & ſi in aliquo caſu me fortuna affligit, tutari cōſeruareque cupiatis. Goudæ, Sept. Calend. Ianuarij, Anno ſalutis humanę, Milleſimo, Quingenteſimo, Octuageſimo tertio.

Amplitudini veſtræ deditißimus Conciuis Iacobus Braſſicanus Cool.

Ad Lectorem.

ETsi, Candide Lector, bene illo prouerbio Græcorum præcipitur, Ερδοι τὶς ἥν ἕκαστος εἰδείη τέχνην, *admonens vt quarum rerum vsum & experientiam accepimus, in his agitandis solum versemur, tamen, non quod Oratoriam illam vim mihi vindicē, aut tātam de me habeam opinionem, vt eam imitari possim, sed rudes Doctiores ad scribēdum non modo non retraherem, verumetiam inuitarem & allicerem (quanquā sum studijs semper impensè delectatus) hanc describere materiam aggredior. Et quod ad hoc nostrum institutum pertinet, fusius enarrabo. Cum propter inamæna patriæ dissidia, ad vigesimum ætatis annum, humanitatis studia reliquissem, ex virorum doctissimorum regula, vitæ mihi statum delegi, videlicet coniugio vxorem stabili propriamque accepi. In quo dum huc vsq; versor, repetendorum studiorum desiderio sic exarsi, vt si rerum mearum fuisset passus ordo, ijsdem totum me dare voluissem. Sed cum interpellantes negotiorum turbæ sæpe, ad studia volentem accedere præpedirent, nihilominus hoc egi, vt quoties à cura & à re familiari, procuran-*

curandoque cultu liberorum meorum, aliquãtum dabatur otij, ea omnia succisiua & secundaria tempora, furto surripere ac calamo tererem. Porro cum familiaribus aliquot meis, libelli huius de pestilentiæ consolatione, fecissem copiam, studiose enixi, vt typis excudendum traderem, è quibus literarum amantissimus, Theodoricus Soubbourgius, patritius, nec non consularis vir, instigator præcipuus est. Quorum postulatio mentem adeo commouebat, vt eorum fides mihi tunc suspecta esset, videlicet, cum de eis ambigetur, merito dubitare possum, beneuolorum an maleuolorum hoc sit argumentum. Nam quod isti conantur ab omnibus visendum, me quasi in Scenam protrudere, indigne tuli, præsertim testis ipse mihi sim, quam parum in re literaria valeam. Sed postquam instabant, vt illa pergerem via, & rem me dignam & sibi gratam dicerent facturum, tandem amicitiæ mutuæ concessi. Quamobrem, è meis lucubratiunculis, siquid palato non sapit, rogo vt importunitatem amicorum spectes, quæ non seruata personæ ratione, nec perspecta satis negotiorũ meorum turba, maturare ac edere in lucem compulit minus castigata, vnde incauto plectar ab inge-

ingenio. Quanquam etiam gratum erit, si quid cum modestia reprehendi audiam: neque hoc ex volatu, pastu, aut Cantu auium, sed ex ea quæ in me est, rei literariæ imperitia, futurum diuino. Quod si vero Zoilus in me maledicta feret, nihil moror mordacem. Notum est, tritum illud: Non cuiuis homini contingit adire Corinthum, tum etiam plena amænitatę nemora, cuiuscunque generis auiculas cantillantes excipere. Vale, Candide Lector.

BRE-

BREVIS DE PESTILENTIÆ MORBO CONSOLATIO.

In vsum eorum qui Dei imperium recusant, & ad malum hoc, grauioribus se curis & querelis onerant, recens, ac populariter conscripta,

Per Jacobum Brassicanum Cool, Roterodamum.

QVemadmodum cõsueuere duces, quoties præsens aliquod periculum hortatur, Oratione quadã sua militum animos in prælium excitare: Sic mihi pestilẽtiæ consolationem dicturo facto opus arbitror, vtinam tam industrio quam cupienti, aliqua ex parte populi sollicitudines alleuare, quas eiusdem introitu animo & mente concipit. Itaque cum certum populus habet, mortem vitę suæ multifariam insidiari, ac imprimis pestilẽtiam nullo

nullo non in loco grauiſſimam numerat, qua de re non ſecus triſtem video, quam ſi ab hoſte obſito, deſperata ſalus eſſet (cum præfatus fuero, quæ arbitror ad rei progreſſum maximè pertinere) illi animũ tum releuabo, qui pene dolore & miſeria tabeſcit. videlicet dicendo (ſi Diſciplinarum Deo placet) leuamentum adferam, quod ſi non omnino dolorẽ franget, ſaltem (ſi qua ſubeunda cum peſtilẽtia dimicatio erit) populi animum eriget & confirmabit. Et recte peſtilentiam hoſti fatali comparem. Nam ſicut ille cruentato gladio perſequitur victos, ita ab vno in alterũ deriuat hoc malũ, ſuoque contagio multos perdit. Et ſicut acie Ordinibuſque alarũ diſpoſitis, quorũ a Marte definitus eſt numerus, fit ſtrages: ita quos Deus ferire conſtituit, peſtilentia, corruunt. Atque vt pugnãtium nemo, antequam exercitus ad receptum ſeceſſit, finiſque certaminis eſt, dubium prælij euentum ſuperaſſe intelligitur, ſic quamdiu hæc exiſtit, vita cuiuis dubia & incerta eſt. Et veluti iſtis nihil miſerius, qui iniquo loco poſiti, etiam vana formidine periculum ſuum adaugent, ita peſtilentiæ morbo per vrbem

graſſante,

graſſante, inhabitantium alij magis deplorati non ſunt, quam qui effuſè cõcæpto timore animum perturbant. Porro vt videmus ſæpe fęliciter, Martis aleam ijs cadere, qui ſe ad ſuũ munus penſumque reuocãt, ita nulli hunc morbum facilius euitant, ac meliori conditione fruuntur, quam qui exiſtunt intrepidi, euentumque in ſorte collocant. Adeo hæc diſſimilia non ſunt, quin ſi conferas, horum tibi vna eſſe cauſa videbitur. Nam ſi dicas miſerabiles caſus accidere in prælio, videlicet, fratrẽ volatili ſpiculo a fratre auelli, Coętaneũ à Coętaneo, amicũ ab amico, alium in aciei fronte perire, alium inter globos cadere, vt quemque ſors vult interire; Haud longè etiam diſparem, peſtilẽtia, communis omnium inimica, adfert fortunam; ſcilicet videmus quoties mulier lactãs a paruulo, maritus a coniuge, ſponſus a deſpõſata, Socer a genero, frater a fratre, Coętaneus à Coętaneo, amicus ab amico, nullo diſcrimine tũ ſeparentur. Sed dicet aliquis, cũ me videbit exponere par periculũ in peſtilentiæ morbo atque prælio eſſe, mirari non debes, ſi aliquos forte, rei inſolentia exanimat, præſertim in

acie

acie ſtãtes, vniuerſim, preſenti animo haud ſint. Ideo nempe perquam ſimilia eſſe iudico. Nam me iſtos reprehēdere, qui ſe cruciant morbi malitia, vt conſolatione quadam amentiam eorum diſſipem. Quod ſi conſiderabit quis; me imperatoris more facere dicet, vt quatenus exercitus, ciuitatiſque peſtilentia laborantis, fortunam eſſe eandem, ſatis probatum non eſt, ſaltem ex hoc colligatur. Sicut enim exercitus, ex fortibus & ignauis conſtat, ac proinde imperator verba facturus, magis hos quam illos, ſua oratione inſtruit; Sic ego iudicans in Ciuitatis corpore, per quod dirum hoc ſerpit contagium, vtroſque eſſe, & fidentes ſatis, & metu nimiū perculſos, poſterioris magis quam prioris generis, ad mentis ſobrietatem exhortor. Nam ſicut duces ignauos, ſic ego hoc malum pauētes improbo, vt ad fungēdum probè officio, ob oculos, tanquam Archetypum illos habeam. Siquidem cum in ſimillimo ſtatu exercitus, ciuitatiſque huiuſmodi, res, poſita eſt, ſimilibus rationibus leuantur. Etenim ſiue dicas decertantibus aut cito mortem, aut lætam victoriam contingere, ego quoque
peſti-

pestilētia correptos, aut cito interire dixero, aut conualescere. Siue autem fortissimos in bello Martem oppignerare, Iuuenes quoque fortissimos rapi a pestilentia affirmen. Quare non minus hæc, plebis copiosæ multitudini, quam illa, innumero exercitui, exhortatio vtilis & necessaria est. Nisi forte nostrum aliquis iudicet, rem minoris esse periculi, cum hoste ex insidijs clandestino surgente, quam aperte arma sumēte congredi, & non iustissimè timere eos qui spiritu, animique robore, ac telis, hostibus longè se inferiores vident. Nam si militibus perterritis, in pugnæ momēto, Imperatoris ad virtutem incendens exhortatio, recte facta ac maximè esse necessaria, ab ęquo iudicabitur, qui quidē procinctos aduersus procinctos, instructos aduersus instructos, pari telorum genere, pari exercitatione, parique consuetudine, per campū medium ad certamen ducit: Cur non & ijs æque consolationis solatiū præstandum, Cur, inquam, non verbis eorum quoque euandus dolor, quorum tergora ab hostibus circumuenta? Quos exercitus nulla instructio, nulla dexteritas, nullus vsus, deni-

que

que, nullum iuuat telũ in hostem intẽsum? Nam ex serie Cyclopum adolescens sit aliquis, firmissimis lateribus, incredibili virtute, magno accinctus gladio, tum omnia tentet, hic idem dices, pestilentiæ rabiosæ triangulum, noxium, ac infestum istud spiculũ, suo robore euadet? Digne ergo pestilentiæ quum admouẽtur faces, præter modum, plerique exterrentur, Rectè, sed tanto libentius admonendi a me sunt, quanto illis est terroris ęquior causa; queadmodum Imperatores plus operæ & curæ orationi suæ impendunt, si quod milites animo consternari, ex iusta magis quam iniusta occasione, oriri apparet. Scilicet nostri instituti summa non est, vrbi pestilentia minante, in ingentem metum illapsos, tanquã imbelles & timidos carpere (est enim cur timeant ratio, pestilentia, eiusdemque contagium) sed ne eiusmodi sensuum stoliditate animo abiecti, in impietatem prolabantur, mature castigatione quadã verborum placida, & tranquilla, efficere. Nam cum oppidorũ incolas, vna & communis pestis detinet, illi autem ipsi plus ęquo tum contremiscunt, quamobrem hac laboran-

tes

tes deuitare, & commercijs interdicere aspiciã, neque etiam obuiantes sæpe necessarios sistere, neque sui desiderio flagrantes ausos inuisere (quod est naturę legi contrarium) volui opportuno docere tempore, quo pacto vti animi motibus norint, dum nec modum nec Ordinem seruantes, hac in re honestatem & decus amittunt. Remque antea facturus fuisset, quicunque de pestilētiæ morbo consolationem composuisset, qua vulgi opinio veluti in chamo duceretur. Sane vulgus præterquam nihil recte sapit, imprimis fallitur, quando circa hoc, officium quod sit, ignorat. Quod si autem haberet regulam quam imitaretur, neque in proximos inhumanum esset, dũ nos mutuo natura ita diligere iubet, vt vix vlla de causa deserere inuicem possimus, neque in semetipsum vindex exstaret dum mentis suæ cogitationes, assidua & vana moriendi formidine, torquet. Quis enim vir bonus ferat hominem ab homine, nedum Christianũ a Christiano negligi pestilentiæ morbo grauatum? Aut potius eos stultos esse non arbitrabitur, quos pestilentiæ timore semiuiuos, falsa quędã morien-

 disol-

di ſollicitudo excruciat, preſertim non ignorantes & ſe mortales eſſe, & vt prolongetur ipſis dies mortis, metum nihil proficere? Quod ſi metũ nihil amplius in ſe habere fatendum, quam periculi augmenta, doloris autem accretiones non diminutiones, meliori conſilio ſententiam eis permutare ſuadeo. Et quid tantopere mortem horrent, (ad vos me conuerto boni viri) quã ſemper ſumme concupiſtis, quia non mala per ſe, ſed bona eſt, nempe animum corpore laxatum tanquam ex ergaſtulo liberatum, ad vitam multo fœliciſſimã trahit? Quæ ſi animo comprehendere grauabuntur, quid ſe facturos dicent, ſi improuiſo mors opprimat? Num detrectabũt mortis certamen? Atqui non potius, ſi mori debebunt, ſecum animo expendunt, cuique & vitę & lęthi ſuum diem ſtare, ſed nemini tamen eſſe a natura prędefinitũ, ne recordatio mortis aſſidua, humanae mentis ſtatum perturbaret, neue dierum certa quædã aſſignatio, mortalis vitę temeritatem, confidentia inſuper alia augeret. Iam quid eſt, cur ad nomen peſtilentiæ tantopere expaueſcimus? Cur fugimus peſtilẽtia laborantem

tem

tem propinquũ, ſcilicet, nobis non ſolum conſanguinitate coniuncto, miſericordiã denegamus, ſed etiam ipſę naturæ, atque adeo neceſſitati inferimus magnam vim & iniuriam? Eapropter amicum re non iuuamus, vt perſimili calamitate preſſi, alterius (quod nos ſubleuet) obſequium deſideremus? Nam & ratio & natura ſuadet, quod nobis fieri non volumus, hoc ne alijs faciamus. Ideo amicos negligimus quia iſti hodie occidũt, nobis vero Craſtino inſtat vitæ diſpendium? Ideo inquam, tanquam non viſu faciles, nos prçterlata eſt mors? Si id cupimus, minus videmus, conſulimus parum. Nos vt tantillum temporis ſpatium viuere poſſimus, calamitoſam vitam pro beata, temporaneam pro æterna, agreſtem pro vera commutare grauabimur? Hæc & ſimilia cenſere ęquum eſſet, ſi Chriſtianorũ magis quam hominum impiorum valeret apud nos authoritas. Si quidem Chriſtiano cui mors terribilis eſt, ita vita hęc ſuauis nõ eſt, quin ad ferendã mortem animum edocenti, mortis recordatio ſit iocunda. Sed ille quidẽ nulla alia de cauſa magis triſtes ſunt, quam quod vitę ſuę agi periculũ tum

videant, rerumque desyderio pessimarum adhuc flagrent. Alioqui, si quarum rerum delectationē in vita consecuti sunt, earundem priuationem non timerent, magno, obeundæ mortis diem, gaudio exciperent. Nam præsentium bonorum facilè eos satietas caperet, quæ neque bona existimanda, neque ad fœlicitatem, hominem sunt perducentia, sed spurca intusque sordida, tantumque bonorum forma extrinsecus velata, possessoribus suis prosperitatē mentiuntur. Quamobrem temporibus pestilētiæ, quònam pacto homines erga homines se gerere debent, docebimus, maximeque decens erit, si Ordinem & modum pręscribam, vt intelligant pestilentiæ contagiosæ causa ius naturæ violare, inhumanum ac multum indecēs esse; Leniter vero timere morbi insolentiam, hominis esse cum prudentis, tum integri, stulti autem inaniter perturbari. Quæ dum breuiter exposita sunt, ab præcipuam operis partem nos accingemus.

ALTE-

ALTERA PARS.

EST omnino vix conſolabilis in multis dolor,tantus eſt peſtilentię contagioſę metus. O miſeros, qui tantopere formidant,cũ in eos impetu ſuo peſtilentia ruit. Quid vos iſthæc res perturbat? quia tũ cõfinis mors eſt, villãque habet veſtræ contiguã vel vicinã? An morbus in cauſa eſt extraordinarius,ſupra quam horret humana natura,cogitationẽ mortis adaugẽs? Ridiculum ſi hoc eſt. Etenim tota Chriſtianorũ vita commentatio mortis eſt. Veniet tẽpus & quidem celeriter,ait Cicero,ſiue retardabis, ſiue properabis,volat enim ætas. At ſeuiens eſt morbus hominumq; nulli parcẽs. Si ad hoc vos humani generis charitas quædam trahit, eſt quod laudem; nihil eſt magis, quam humana incommoda miſerari. Sin veſtri tantum,eſt quod arguã: nam quid peſtis nocitura mortali, niſi vt facias, quod facturus es. Moriẽdum eſt ſemel,ca naturę lex, tandemque omnes hoc vectigal pendemus. Peſtilentia,eſt morbus contagioſus, ab acris infectione proficiſcens, quo Deus hominum cupiditates,&

vitia, corrigere & emendare solet. Dirum sane contagium, nec non summopere horrendum, nempe, vehemens est & quos inuasit cito interimens, sed ea mente a Deo datũ, vt propria scelera in nos nostrosque expiet. Quanquã non ita dirum ac noxiũ, quam multũ animo nostro cõferens. Quid enim Deus, adhoc pestilentiæ morbũ mittit vt simul omnes intereãt? an vero terret hoc modo ac reuocat homines ab impietate? Hoc Dei consilium est, quo nos ad se attrahit virtutisque comites simus, depresso omni vitio. Et veluti hostis ariete mœnia, ita ille præfractum hominis cor pestilentia quatit. Hæc sola causa est cur pestilens virus auræ incutit. Castigatio hæc & animaduersio cõtumelia vacat; non enim hic rabie vel ira motus sed amore dilectioneque castigans est. Nõ valet in Deo odiũ, nec iratus nec inimicus facit, sed peccati scelerisque nostri vltor est. Pro peccato magno parum supplicij huic est satis, nec pœnas ampliat, nisi ad peccatorum mensurã maior cumulus accesserit. At si bellũ peccato indiximus, cõfestim misericordiã denuntiat ad vindicãdum non ita promp-

tus

tus quam ad saluandum paratus. Ille enim est DominusDeus noster misericors & cõmiserans. Sic, ille nos diligit, vt quiduis nõ tentet, quo faciles & ad sequendum aptos faciat, quocunq; nos traxerit. Eousq; flagellum continet quousq; flagitium vetat. Sed & antequã punit ad mentis sobrietatẽ prouocat singulari quadã bonitate. Obseruanti suam legẽ ingentia promittit, at dissoluenti; graues super, supterque angustias comminatur, tantaque imprimis excellit charitate, vt humanę salutis amantem quilibet dicturus est, nedum erga humanum genus immitem esse, aut plagas excogitare libenter, quibus excruciet. Enimuero omnes expẽdit modos, quo a se dilecti, in viuido pectore, vegetã mẽtẽ, ingeniũque vegetum gerãt. Quare veluti pater crustulis filios, ita nos blanditijs inuitat; in immorigeres antequam animaduertit, minis tantum crepat. Terret verbis quidem non fallentibus, si nec sic obedierint, & si deinde castigandos ducit, leuiore procedit aduersum eos vindicta, quo Piscatores icti sapiant. Quod si nec sic aurem prębẽt, gradatim affligit grauius, donec assidua rota-

ti vertigine, incircuncisa mens eorum erubescat. Percutit non vt lædat, sed vt sanet; & quocunque ille modo allidit, dolenter, me hercle, magis quam inimice, facit. Nā ad vnicā lachrimā, flagro cęsis emplastrū imponit, & tormētum passos noxę eximit memor fœderis sui. Quod si miseri, subito remedium exitio inuenire vultis, nō tecti, non aquæ, non ignis interdictione, sed vitę commutatione faciendū est. Fugite pestilentia laborantes, antidotaque deuorate data, haud effugeritis malum; fortior Deus medico est. Pestilētiam immittit Deus, ob scelera prius admissa. An nihil putabitis, in diuina vltione valere Idololatriā, nihil murmurationem, nihil anteactæ vitæ nostræ turpitudinē? Cur veluti pluribus vulneribus concisos, humi semianimes iacere video? Cur vox hæret præ pestilentiæ metu? Cur inquā est, quod genus morbi crudelissimi & maximi perhorrescitis? Num quia serpit hoc malum longius, quam credibile est; an alio genere morbi grauius, aut etiā acrius est? Et si cœli spatiū, Pestilentia, omni de parte venenet, cæterisque is morbus est intolerabilior, tantopere non metuendum

dum persuadeo. Primum, quia a nobis ipsis veluti initijs, ceu primo fonte egrediens, in nostrum redundat caput. Deinde deprecatione statim a nostris ceruicibus repellimus. Siccine ergo trepidemus dum pestilentia pulsat fores? Nec vos ratio ducit, nec anteactæ vitæ recordatio scelerum memores reddit, quę Deus miserorũ morte nunc piat? Præteritæ vitæ imago ante oculos recurrat, & illa quę pestilentia habet pericula forti animo suscipite. Nec vos alia, quã quæ ipsa discrimina habet, inutili atque abiecto timore addite, sed arbitremini pestilentiam omnemque talem morbum nullis alijs de causis a Deo immissum, quam vt debito supplicio, scelera admissa luamus. Huius rei quamplurima scripturo argumenta haud graue esset adferre, quæ passim ita copiosè exstant, sed hoc instituti nostri non est, cum nemini non sit cognitum, flagitia, stupraque hominum, & adulteria, quauis pœna digna esse. Indignamur quidem si quis nostrum pestilẽtia interijt, atque etiam sæpe tum maximè exclamamus, ac si indignis simus accepti modis. Sed pestilentia, piacula ob commissa est

an non? Multum quæri decet, si eripitur vita immerenti; siquidem semper credidi, Deum meliora dare pio: At si pestilentia nihil aliud, quam flagitiorum expiatio est, tantopere immitem non perhorrescite, sed vnumquemque fragilitatis suæ subeat recordatio. Tunc enim tolerabilius malum erit, ac tanta nos miseratione dignos esse non censebimus, si anteactæ vitæ nostræ turpitudinem, tantum mali, ad nos deuehere apparebit. Nempe conscientia mentē excitatam vexabit, quę tanquam recitatrix scelerum, abiectis atque conuictis nobis, iniustam quærimoniæ esse causam persuadebit. Næ si hic, Democritus & Heraclitus essent, flendi & ridendi, abunde nacti essent copiam. Ac me Hercule vix manifestum est, num hoc stultitiæ genus commiseratione magis an irrisione dignum iudicem flent nō de vita impie anteacta, sed de suo supplicio. Eiulatus illi & gemitus, non è scelerum pœnitentia, sed sui ipsius amore proficiscuntur. At si ad placandum Deū principium inuenire volunt, non vbertate lachrimarum prodiga, sed gestæ rei pœnitentia consequentur. Ingemiscere nonnū-
quam

quam viro concessum est, idque raro, ait Cicero, eiulatus ne mulier quidem: hi vero sine neruis, ad quoslibet casus, immodice plorant, sonorosque ædunt planctus; quæ quidem ęgritudo animi, aduersante ratione fit. Etenim principē illam atque nobilissimam animi facultatē, siue hic morbus fortuito accidit, siue huius prouentū vitæ nostræ adiuuat turpitudo, impauidam ferit. Nam si fortè temerè hoc mali oritur, quid magis rationis proprium est, quam vt moderatè ferat, pręsertim cum ad eiusdē inopinati mali causam, paucorū potest peruenire curiositas. Sin vero est, scelere pestilentiam acquiri, quare varij euentus morbi parti mescendi videntur, hoc ipsum quoque leui terroris metusque vomere, rationis sauciabit virtutem. Scit enim nos, nostris multis peccatis, in hanc ærumnam incidisse, quapropter ad eam luem ferendā magis quam arcendam accurret, videlicet vt actionum nostrarum, ita etiam sedādorum affectuū, præcipuam causam & ducē rationem habemus; hæc nō tantoperè pestilētiam, quantoperè peccatorum deformitatem, timendum esse dictabit, quæ illa

impu-

impura lue, ſolet perlui. Enimvero ratio libidinibus inflammatum, & furentem cum inexplebili cupiditate, tum maximè in humilitate exercet, cum ſcelerum vindicta adeſt. Tum enim vitæ ſuę turpis ponderãs grauitatem, parem æquo animo ſuſcipit cœlo demiſſam alto expiationem, tãtaque animi demiſſio mox beneficium cenſet, quaſcunque moleſtias. Sed cõmune omnium vitium, quod nimium ſui amantes ſunt mortales, adhæc in nobis eſt inſatiabilis peccandi voluptas, quæ mentis aciem ſenſuſque noſtri radios, dulcedine quadã ſua vincit, & decipit, ita fit vt parum ſani, ſtabili formidine, mentẽ premamus. Quod ſi vero aſpiceremus delictorum magnitudinem, tum etiam efficientiam cognoſceremus, quod hęc peſtilentiam efficiunt, toto cœlo diffuſam. Proinde ſi quis ob ſcelera, Deum meditari humano generi peſtilentiam videt, haud miror, ſi hunc pauor occupat; non quia iracunde cum eo, ſed vehementer agit. At ſi quis tantum, quia peſtis corpori nocet, malique ominis eſt, præſentem mox vel propinquam abhorreſcit, eius ſtultus, inanis, & ridiculus me-

tus

tus mihi esse videtur. Licet enim sit communi quadam lege naturæ, vt quod nociturum est refugiamus, attamen, ad impendens malum, quod imprudentes culpa efficimus nostra, cur nimis formidemus? Mea quidem sententia minus execrari debemus luem, quæ a nobisipsis proficiscitur. Qua in re est operæpretium, virtutem maiorum recordari. Rideat quiuis inepte eos, tanquam rerum delectum minimè habentes, per me quidem licet & hoc impunè: At pluris mihi habetur illorum in considerando grauitas, quã in iudicando posterorum temeritas, præsertim cum hac in re se produ͂t, quã sint leues. Quid enim patres egisse putabitis, quoties pestilentiæ signa perceperunt? Num exclamasse? nu͂ de noua clade cum Deo quęstos? Num anxie nimis vitæ suæ timuisse dicam? Ementiar in eos quos non odi. Erubescant merito, quibus noua tantum placent, antiqua displicent, quia ipsismet pulchrè sua placet inuentio. Hiccine patrum actus perspectissimus atque ornatissimus non est? Sinite me prius resumere aliquantulum animi, qui hanc contumeliam patribus tam insignem a posteris

illatam

illatam, æquo animo accipere nō possum. Aiunt patres in perspicientia veri laboras-se, vix possum quin hic exclamē, O Imitatores seruū pecus. Intelligetis mox ita perspicuam in ijs esse veritatē, vt eam infirmare nullæ res possit. Sæpenumero constantiā eorum & moderationē animi cum expēdo, tum pro perfecta quadam ratione patienter omnia tulisse iudico. Quotusquisque nostrum est qui non pestilentiæ morbum, magnū malum nuncupet, atque hæc omnium leuissima est detestatio. Cęterum ad huius contagia, quamplurimi magis quam ex Basilisco viso trepidant. Iracundi quibuscum ipsis est aliqua cōtrouersia, pestilentiam inpræcantur, non debilitatem, naufragia, bellum, famem, quia omnium terribilium hoc terribilissimū videtur. Ac ideo quoque magna cura fugiunt peste laborantes, parentes propinquos & affines deserunt, amicitiam, fœdus, hospites, sæpenumero etiam coniugij fidem, naturæ iura rumpentes. Crescente morbo, crescit simul in eis formido; nā cū serpere per vrbē tantū malū, idque indies manare vidēt latius, extrema remedia attētant: alij Rutam mane

mane delibant, alij deglutiũt Theriacã, alij aliud; quibus autẽ eſt certiſſimum conſiliũ domi, nuper inuento Ouo Philoſophorũ vtũtur. Satis bene cum ipſis geritur ſi alios interire videant. Nec prius in vita eorum, quos maximè defenſos oportebat, clamores tantillum mouent, quam hic morbus punitor acerrimus, illos ipſos amicorum deſertores percuſſerit. Nimis hercule pluribus ille morbus formidoloſus eſt. vidi admodum formidantes, peſtilẽtiam ſibi conſciuiſſe, item alium cum repente ad ſe eſſet allatum, vxorem grauidam peſtilentia periclitari (qua per Deum immortalẽ nunquid homini cõtingit charius?) tantopere nuntio conſternatum fuiſſe, vt eius acceſſum reformidaret. O Immanitas in ſe atque adeo in ſuos deſæuiẽs. At periculoſum eſt peſte tranfixis opem ferre. Imo auxilium denegare iſtis, præterquã inhumanum etiã impiũ eſt. Etenim omnibus neruis cõtendendũ atq; in hoc enitendũ eſt, vt iugiter quouis malo laborantes, mutuo obſequio iuuemus, præſertim quos vetat naturæ lex violare, vt parẽtes, propinquos, amicos ac imprimis quos nobis ſociat iugale vĩculũ.

Intuenti toties hominũ formidinem tantã, procedunt leniterque ſonant clangore Cachinni. Nam frequens mortis recordatio eſt, quã peſtilentiæ contagiũ ſic adauget, vt neque pretio neque gratia impelli poſſint, metum in ſe meliori inſtituto tẽperent. Quanquam etiam mihi veriſimile videtur, iſtos non tam peſtilentiæ malitiã, quam mortẽ quæ communis omnibus eſt deprecari. Nam ſi mortis diẽ non timerẽt, cur de inclementia morbi adeo pauidi & meticuloſi eſſent? Niſi etiã ſint aliquot in hominum vita delicatuli, qui circa mortis genus, delectũ aliquẽ norunt, quaſi penes ipſos eſſet, quo morbi genere interire velint. Conuertendi ratione animi, & cõprimendus omnis talis impetus, imo delenda ex hominũ moribus, inueterata iſta barbaries. Quid enim hoc eſt aliud, quã naturę, id eſt, Deo repugnare? Nullam ego res humanas deſpicere prouidentiã reor, ait, ille Quintilianus, facundia nobilis Orator. Atque mehercle ſic eſt, hæc omnia conſtare ex nutu Dei. Bona & mala, vita, & mors, apud Deũ eſt. Quo ergo ruis o demens? Ne tantulũ, tua cura, morbũ tam in clementẽ effugias,

effugias, Licet Epeo timidior. Quod autē genus mortis horrescis, sęuum, immite, asperum, & durum, qua ratione auertis? Corporis ius proprij apud te non est, hoc seruato conditori. Qui vitam dedit, vitam ille adimat prout lubet, commodumque sit tibi quicquid faciat, nam ille hoc ius habet in suos. Mortē omnes æquè fugimus, omnes tamen morituri ad tempus perbreue, cur ergo ea consolatione sustenteris, quam tu tibi adhibes suauissima insania? quasi vero esset corporis & animę aliqua dissolutio, quę se facilē præbet? Clamitabūt perisse pudorem cuncti pene patres si hæc audierint. Stultiores Morycho dicent, qui omissis rebus his, quæ sunt intus, foris extra domum desident. Quid illi? Morbi malitiam verborum lenitate mitigauerunt? Imo pestilentię contagium, donum Dei appellauere, ratione eos ad hoc impellēte. Nobis autem pestilentia cælitus demissa, ob commissorum turpitudinem, vt cuncta exclamationibus miscemus? Donum quidem esse Dei dicimus, nam hoc donum esse Dei (vt id negare vereamur) pro ratione persuasit Antiquitas, at non perinde ac si donum a Deo

accepiſſemus, nobis contigiſſe gratulamur. Cur aliquo profugimus, nos perfundentos beneficio? quandoquidem non ſatis eſt ęſtimare, quoties peſtilentiam immitit Deus, parens melior ab hominibus ceu triſtior nouerca habeatur. Tanti ſunt multorum hominum de hac re inotus, interimque nullis non fraudibus facinoribuſque vacare, tutum & glorioſum eſt. Cuiuſmodi maxime ſunt qui temporibus peſtilentiæ, ſeipſos heu mæſto animo contriſtunt; quibus vbi corporis ſui obſeruatione, valetudo eſt minus proſpera, familiare eſſe aſſolet abiectè, timidè, ignauè, ſeruiliter, muliebriter, ſtulta quãplurima meditari. Mẽbrorum cruciatum vel minimum ſentiũt, iam ſe peſtilẽtia correptos autumãt. Quod ſi fortuito (vt in corpore humano fit perſæpe) exulcerationes proueniunt, ad inſtar peſtilentia laborantium, tota mente atque omnibus artubus contremiſcunt, adeo vt ſi fieri poſſet morbum pauore contrahi, in præſens diſcrimen veniſſe quiuis iudicaret. Quis non rideat iſtorum hominum veſaniã? Tales ego angina digniores habeo, ne quid mali impræcer, quę ſine funiculo fau-

ces

ces angit & ſtrangulat, aut Calculo carnifice, qui lentiſſimo cruciatu mortalibus vrinā impedit, Aut mariſcis potius, quas legimus diuina vltione, Philiſtęis accidiſſe. Nēpe vt ſtultiſſimum eſt, in luctu ſibi capillum euellere, quaſi Caluitio męror leuaretur: ſic temporibus aduerſis, nimis formidine agi, imbecillorū eſt. Robuſtus autē animus & excelſus, omni eſt liber cura & angore, quū & mortē ipſam, nedū peſtilentiā, contēnit. Quid iuuat te in ſano corpore timidū eſſe, aut cur miſer vis eſſe dū vires adhuc ſunt integræ. Nam cū conſeruatio ſtabilis iudicij eſſe debet, in ijs rebus quæ formidoloſæ videntur, an non miſerum tum eſt, homines mente animoque fluctuare? Quod ſi fauente numine, in te hoc malum correpſerit, cenſe rerum humanarum celerem eſſe commutationem, neque in nobis ſitum, vt res perpetuo ſecundæ ſint, iuxta illud Euripideum ex Iphigenia Aulidenſi,

Non te ſeuit ad omnia Læta
Agamemnon Atreus:
Gaudere atque dolere, neceſſe eſt:
Mortalis enim es. Sin tu nolis,
Tamen eueniet, ſic Dijs placitum.

Vtcunque Deo lubitum eſt, vel ſecunda valetudine perfruimur, vel aduerſa dolemus. Neque in noſtro arbitrio eſt, vt quo modo optamus, e vita excedamus, commodo an incommodo, repentino an diutino, ſed cuncta hæc in manu Dei ſunt. Ille arbiter, ille vitæ & mortis dator eſt. Fœlix plane cui mẽtis ſuæ ea eſt cogitatio viſque conſilij certæ rationi conſentanea. Concedant in medium hortamur, nullo non tempore peſtilẽtię periculum ſecum corde volũtantes, depoſita tandem dementia commemorent, quid præ alijs hic morbus ferat periculi? Ardemus ſciſcitari & querere cauſas ignari tantarum ſtulticiarum. Si rapida peſtilentia trahit in pręcipitium mortales, Si in diſcriminatim ſternit maris & fœminas, ſenes & iuuenes, Si nudat ſuis incolis agros, amplumque mortalium genus tum forte ruinam dederit, ſuccurrat pulchrum eſſe præmeditatum mori. Stat ferri acies ſtricta, parate vos neci. Faſtigia rationis aſcenſu ſuperate, videbitis quantoperè conducat ſic exercitos eſſe, & ſi prælia tentabitis, amentes nolite arma capeſſere, ſed ratio ſit in armis. Ipſa parat animos vireſ-

que ſecundas ſufficit. Sin vero aliquam in aſſumpto ſpem ponitus metu, e medijs peſtilentiam veluti hoſtem penetralibus bacillo fugate, ſcilicet, vos ea ex ædibus pulſa ſperabitis efferre poſſe pedem? Sic eſt profectò cum plurima ab ea clade paſſim ſternuntur corpora, tum haud dubie mors atris circumuolat alis. Neque ille regnator cœlorum ſinit violentam & fulminis modo obuia quæque proſternentem peſtilentiam, homines vlla ratione diſſipare. Nam ſi vobis datum vt aduerſus crudeles peſtilentiæ ictus, vos dextra defendatis, etiam hàc defenſa eſſent, per tot domos, perque tot limina, acerbitate peſtilentiæ interfecta corpora. Haud ita, nihil inuito Deo quemquam fidere decet, tanto minus quiſquam metu vel pauore crudelia retroaget fata. Ego ſua veneni pixidicula peſtilentiam feſtinantem, non magis quam febres, ſtati temporis periodo accedentes & recedentes extimeſcam, hic tamen excipio peſtilentiæ contagia; præter hæc, vt mihi videtur, atque in vrbe ſit peſtilẽtia ferueſcente, ſimilem pauorem inde fore demonſtrauero. vt enim Carbunculus, tumor eſt prętor

 natu-

naturam, cum vehemẽti partis inflammatione, ita febris vt Medici docent, maior quædam eſt intemperies calida totius corporis. Peſtilentiam primum magno frigore perſentimus, & nos item febris fere frigere facit. Siue autẽ hominibus ſua iniuria eſt, atque cœli intemperie carbunculãtur, non procul quoque poſitæ regiones crebris febribus ardẽt, eas ſcilicet loci inſalubritate, aut cœli inclementia dante. Sic Zelandia inferioris Germaniæ prouincia, præ alijs duritate aeris inamœna, febris domicilium eſſe dicitur. Quẽadmodum Locris & Crotone peſtilentia nunquam fuiſſe laboratũ, a Plinio annotatum eſt, quia terræ ſalubritas, a funeſta peſte, incolas præſeruat. Nec eo magis peſtilentia formidini ſit, quod de humano genere interficiendo ſæpe noxa certare videtur, cum etiam arrabunda febris eademque ferox, aliquem locum peruagata, prope omnes capit, plurimoſque æque ſternit; atque vtinam pari cum dolore & moleſtia. In quo quidem negotio longo interuallo peſtilentiam vincit. Nam qui Carnificinam hanc patiuntur, mille ferũt mortes, quippe ſe late diffundẽs per artus,
poſt-

postquam proditione sua cępit locum, instar Carnificis cruciat, indies ægritudinem auget, donec dilaniet præcordia, laceret animum, excarnificatumque conficiat. At pestilentiæ rictus atque mentum non tam atrox, graui quidem sopore virus hominibus immittit præsentaneū, sed discite omnes atque credite, nullo docente per vsum expertis, vincibilem esse si expergiscare. Hinc hodie tenet hominum opinio, pestilentiæ atque adeo moriendi periculo se eripuisse, quibus somnum vigilijs pellere contingit, eos vero emori necesse, qui se vinci a somno patiūtur. Narrabo huic loco non inconueniens, quod a Iohanne Reynerio Holorino, Socero meo cādidissimo atque consulari viro, nuper Decimo quinto Calend. Octob. (heu nimis magno omnium suorū Domesticorū dolore, vita defuncto) accepi. Is non ita dudum antequam Deo vitam redderet, ex more, inter epulas, de hac re, pereleganter dicebat, in hunc fere modum. Pestilētia, certamē cum homine iniens, tanquam cum capitali aduersario depugnandum foret, excitat omnes rationes fortitudinis, adhæc quod viribus mi-

nus poteſt, dolo & aſtu ſtudet perficere. Nã in hominem miſſa, ne ambigue certaret, primum vincendi ſpem ex eo concipit, ſi ex inopinato præcordia ferire valeat. Sed ſi animum quem in corde reſidere nonnulli antiquorum putauerunt, aduerſantem atque repugnantem videt conſilium capere, quo pacto potius impetentem ſe eijciat, inſomnem adoriri, atque oſtentare miſſilia ſua non audet; tãquam explorato, iam ferre & ſuſtinere omnes ſuas vires poſſe. Deinde dolo res ſtruit ſuas, amica venit, palpat, ſcabit tamdiu molliter caput, quãdiu pruritus profundúſq; ſomnus inuadit. Tũ apte inſilit, & nocitura veneno inficit. Nihilominus cor hominis in pectore poſitũ, ſemper vigilanter, neruoſeque ſtat in acie, nocitura proſpicit, acre, vehemens eſt, alternatim ſemper mouetur, pro incolumitate & ſalute corporis ſibi concrediti, agit perpetuam excubationem. Nec cuſtodem incorruptiorem, nec excubitorem inueniri corde vigilantiorem, & nõ modo excubias & cuſtodias, ſed etiam laterum ſuorũ oppoſitus polliceri narrabat. Mirificũ fore ſpectaculum, ſi cernere liceret, vt luctatur

ſæpe

ſæpe cum peſtilentia animus. Exemplo didiciſſe tali animo reluctantem, ſæpe in vnã corporis partem procul a ſe peſtilentiam reieciſſe, neſciam qua erũperet, veluti contendentes lucta ſe inuicem complectẽtes, alter alterum in terram deijcit. Et cum hæc exponebat, tum puſillanimitatem hominũ accuſabat, peſtilentiæ vitium immodice formidantium. Sic eſt profecto, atque experientia nobis quoque ſat cognitum eſt, ſternere peſtilentiam & ſterni, quantumvis aſtuta & violenta eadem ipſa eſt. Nõne victam fatebimur, quando hominis vitam petere volẽtem, animus robore ſuo, ad extremitates vſq; corporis, pellit? Nempe animi virtute, repulſum peſtilentiæ vlcus, in parte aliqua corporis, ſic adhæret, tãquam carni hirudo, donec tam excoctum atque atrum, quam carbo eſt, decidit? Egerrime, peſtilentia fortes animo conficit, patientes autem aduerſante ratione animi affectionem, miſeros ex ęgritudine mors conſequitur; nam parte non vigilant qua neceſſe eſt, infidi ſuimet cuſtodes, ſed cõſternationis grauitate omnes animi vires ſopiunt, ſopitas peſtilẽtia obtruncat. Cur de

peſtilentiæ periculo horret animus recordari, cum grauiſſimorum morborum vltra ipſam peſtilentiam carnificina ſæuit? Ad hanc non obſtupeſcitis quia vos forte non exagitat. Sed cur eſt Aphtis peſtilentia triſtior? Cur Calculo crudelior? cur eius conſanguinea Dyſenteria nocentior? Peſtem modo execramini, quid prę ceteris cōmeruit, vt hanc magis damnetis? An hæc ſola volueris, quærendo mortales inueſtigat, inueſtigatos tranſigit, tranſixos necat? An non vt qui grauiſſimo ſæpe morbo laborant, conſumptis malorum principijs, ad priſtinam ſanitatē redeunt, ita huius morbi cruciatum ferentes, poſt multa vitæ ſuæ pericula, ſuperato morbo, ſępenumero valetudinis prioris alacritatem admirantur? Iam quid refert, peſtilens contagium deteſtari quod nulla arte euites? Quid proderit ſtultus dolor quem Deus culpat, & quo tibi ipſi male caues? cum quod Deus fert, a quouis ferendum eſt æquo animo. Tibi inquam cur vita arida atque horrida cordi erit? Non inficior illos paulo cordatiores, qui ſe confidunt ſola conſtantia perferendi, peſtilentiæ contagia poſſe ſupe-

rare

rare. Sic auræo illo sæculo natis propria quadam ratione sententia stabat, quorum corpora pestilentia si petebat, hoc ipsum non solum animose, & fortiter, sed considerate etiam, sapienterque perferebant. Siquidem animum supra periculi metum agebant, summæ legi parentes sine timore. Atque hæc quidem fortitudo, non e temeritate aliqua, sed rerum perferendarum scientia promanabat, quare tẽporibus aduersis egregiam animi affectionem in patiendo induebant. Imo virtute præstabant tantum, vt eiusdem singularitate, pestilentiæ immanitatem superantes, pro inusitato beneficio, hoc malum, susceperint. Siccitate, quoties plurimum laborabant, aut Eruca, aut grandine, aut depascente locusta, suifundi calamitates nominabant, hanc autem ærumnam de voluntate & ira cœlestium egredientem, tanquã donum a Deo se consecutos gloriabãtur. Quo potius vocabulo hac in re vti debuisse iudicem, præmio an dono? præsertim cũ præmium etiam in deteriorem partem accipitur. Sane haud exiguũ humilitatis argumentum vocabulum præmium esset, si

eo vti maluissent; Sed quid tam secundum pietatem est, quam homines Deum iusto cultu prosequi? Etenim cum teste Cicerone, pro domo sua, nulla est erga Deos pietas, nisi honesta de numine eorum ac mente opinio, cum expeti nihil ab ijs, quod sit iniustum arbitrere, quid non æqua pietate erga Deum præcellent, qui fide id tenent, Deum infligere nullam plagam iniuste ceu præter meritum? Sæpenumero multi, leui in periculo libenter sapiunt, ingruente vero maiore pro viribus, murmurāt, illacrumant, obganniunt, conqueruntur. At in grauissima tentatione perseuerantiæ suæ constantes permanere, an non pietas est? Magnanimitas si insit animis nostris, cum magna fiducia viuemus intrepidi & alacres, quo magis admiror in huius æui nostri hominibus, dum ijsdem præceptis imbuti, instructi vna eademque lege, studijs se proborum dissimillimos ostentant. Quorum tametsi numerosus exercitus, spernēdus tamen est, quoniam ratione Duce non regitur, sed errore deterrimo tantum temere & impudenter passim offendit. Qui (si quando contra se pestilentia aciem struēs

valentior incubuerit) territus atque animo consternatus discedit, maxime podagrosus tum, ac cochlæas vincens tarditate. Atqui plerisq; in rebus segnicies omnis odiosa est, quamobrem cursu corrigendum hoc est, cum equis tum velis, vt quoties res belli manum poscit, dux copias suas in arcem contrahat, ac desuper rideat, cuniculis stãtia mœnia subruentes, securus tam furiosē tumultuantiũ. Cauere debemus ne in perturbationem prius incidamus, quam ratio animos nostros componat. Quisquis certamini paratior, ad arma prosilit audacter, instat non segnius, ac fulmineum manu versat ensem, non solum sapiens, sed etiam ciuis e Rep. maximè, tuendæque ciuitatis promptissimus habendus est. Ita quisquis boni viri nomẽ mereri studet, adiecto virtutis elogio, pestilentię minas turpiter non formidabit, quin potius humanæ mentis imbecillitatem, sub pedibus ratione viuacissima, veluti hostem aget superbum, hoc est, vbi quam plures morbi rabies perculsit, in animo suo excolendo haud indormiet diu, nec sperare leuiter, nec extimescere volet. Nam quisquis ob rem dubiam & incertam

certam trepidus pauet vel optat, ille regia via graditur minime, perque deuia perque repreculas errans rete incurrit expassum. An vero metu abituram pestilentiam arbitramini, & vobis gratus est status valetudinis præsens? Non ita est, quid enim pestilentia aliud est, quam futurę cladis iudicium, valetudo autem bona haud perpetua est, & cum te reliquerit allatura dolorem. Sed vtvt est, rerum finem prudentia taxat, nec formidandos tantopere sæuissimæ pestilentiæ aculeos, nec ex optandas eadem facit esse bonæ valetudinis diuitias. Scilicet vt pestilentia, ita re aliqua nobis grauissima imminente, periculum non subterfugimus metu, cum metus non possit impedire fatum, quin ægritudinem, pestilentiam, bellum, famem, resque consimiles operetur. E diuerso cui securus est animus, quia otiosus, metu & sollicitudine vacuus, adhęc bona valetudine, ob hoc ipsum, grassantis mali virus nō declinauerit. Etenim non prius quis superat periculum, quam procul recesserit, nec prudentis est dicere, è pugna incolumem se reuersurum, quam ante partā de hostibus victoriā.

Sæpe-

Sępenumero ſigno receptui dato, ęgre fortiſſimus miles a cęde eſt tutatus. Quę ſi erũt excutienda diligentius, ad vitandam peſtilentiam dicemus, nihil conducibilius pacientia. Nam ſi iubeo inter ſpem, & metum, procedere media via, aliqua adhuc vexatio animum diſtrahet, quæ forte è metu vel ſpe etiam quanta fingi poteſt leui, longa mentis agitatione in immenſum excreſcens, miſerum in ſummam calamitatem detrudat. Etenim homo ſuapte, natura nihil moderabile agit, ac difficulter in omnibus rebus ſeruat ordinem & modum, vnde verendũ ſit, ne ſpes illa expectatioque boni, impendentis opinione mali turbetur, metus autem conſeruandę ſalutis diffidentia, in ægritudinem degeneret. Sed ſagittis exarmaueritis peſtilentiam, ſi ſtabiles veſtrique iuris permanſeritis, ac clypei loco habeatis animi conſtãtiam. Eſt omnio virorum fortiũ, quales omnes eſſe debemus, animi firmitudine prçſtare tantum, vt poſſimus peſtilentiæ culpam non extimeſcere. Nam cum in vitanda peſte cenſemus ſortẽ aut caſum dominari, noſtraque ibidem nihil valeat cũ cura, tum ratio & opera, quid magis

magis rationi eſt conſentaneum, quam vt quis appropinquantem ad ſe excipiat, retrocedentem vero peſtilentiam, vlterius ratione abigat? Alioqui nõne timore nimio tuam ſortem exacerbabis, quam permutare non potes? Quandoquidem moriendi tua ſors eſt, vt facilius intelligamus, quid refert multo ante præſentire futura, vel longe ante mortis punctum ſe cogitatione irrequieta noctesque dieſque macerare? At ſi iactato talo, vt eſt in prouerbio, bene ceſſerit alea, nonne permaximus in ſemetipſum eſt vindex, qui aſſiduè vana moriendi formidine mentẽ detinet? Enimuero quod ſi prudentis eſt res ſuo fine metiri, tum quid hoc eſt, quod vitam noſtrã a peſtilentia depræcemur, ſiue eandẽ contemnẽdo nobiſmetipſis inſidiemur? Propterea plenum ſpei bonæ, graſſante peſtilentia, volo eſſe neminem, quia ſpes rata nõn eſt, animi autẽ imbecillitas & deſperatio procul abeſſe debet. Nam ſi prouideri nihil poteſt futurũ eſſe eorum quę caſu fiunt, quia eſſe certa non poſſunt, ſpes redicula. Iam ſi peſtilẽtia certa eſt, vt hic, quamobrẽ inſolentia rei, merito ſe quamplurimi moueri

ueri dicent, metus rediculus, quia necessitas incumbit moriendi. Sed cur quæso pestilentiam prę morte fugiamus? Num pestilentia ipsa mors est? Imo mors pestilentia mortales ferit, dum ea qua quauersus eorũdem animos sauciat, ac inficit corpora. Quod si tantopere mortis recordatio torquet, cur dum venerit adeo simus supini & inermes? Moriendũ esse semel cuique constat, sed ad hoc ita expallescimus ac si nunquam futurum esset. Si mortem contemnitis animoque fiditis, eius horam longius abesse, quasi in aliquo opportuno esset diuersorio, quid eum in modũ pręmissa perterre faciũt iacula, mortem prius denunciantia? Et si eadem, vim mortis habent, quid adferunt incommodi aliud, nisi quod ab omnibus ferendum? Si quidem a morte comprehẽdi nolitis, male demiror gratias agere denudanti mortis insidias? Nam pestilentia vbi grassari occæpit, haud simul omnes suo tingit veneno, sed vno atque altero imbuto cæteros mortis memores facit. Agite relegata vobis pestilentia aliquo videatur; vel Crastina vitæ vestræ adiecta potestis dicere? An tum quoque eritis sine

vitæ periculo, minuſque de vobis agetur? Cur hic æque non pauent animi? Hiccine ſomniandi tempus differtis in annum? A ſomno ſurgite, iamiam vobis lucta cum morte erit. Quid altum dormitis? Accelerantem non conſpicitis? Pharetra & falce crepantem audio. Quid iſthuc? vos cum in extremo vitæ diſcrimine animo ſecuri, lectulo ita adpoſiti eſtis, ac ſi cum morte inducias pepigiſſetis, peſtilētiam nec mortem ipſam, nec vires mortis habentē, niſi ab ea mutuauerit, ſed amicam durȩque neceſſitatis cōmonētem execrabimini? Tum anxios ſpiritus ducetis? Miſerando clamore vociferabimini? Vobis cum Deus mortem minatur, an tum occidere videtur? Nihilominus concedamus peſtilētiam, venis viſcerum veneno imbutis tetros cruciatus ciere, vipereamque inſpirare animam, qua itur in mortem; eapropter erimus animo infracto, humili, demiſſo, & abiecto? Alter ab alterius funere mæſtus non eſt, & vos illæſi atque incolumes, in publicum prodibitis mæſti? Quid refert quātam vides ſtragem, & quem virum demittit Orco computare? Necatorum vbi completus eſt nu-

merus

merus vos ſtatim manet alia mors. Alia magis quam hac perire deſyderabitis? Indignum dictu, atque etiam tum fortaſſe cum vitæ ſtamina fata abrumpent, tantus ingruet terror, vt cum ceteris præmortuos eſſe optabitis. Quanquã quid intereſt vtrũ ſuper aliquem vigiliarium mons an turris ruat? Quid inquam refert, hoc non at illo modo peream? In necis electu veſtra nunquã futura eſt optio. Nec videre licet cauſam, quamobrẽ vos peſtilẽtia magis quam quiuis morbus alius ad metum incitat, vt enim corporibus vno aliquo morbo vitiatis, eorundem tamen diſpar accidit diſſolutio, cum aliud vehementer, aliud molliter videmus agi, ſic peſtilentia laborantes, vnum vitæ finem haud ſortiuntur, alij extremo cruciatu torquẽtur, alij ſomno quo nihil mollius eſt, e vita hinc migrant. Iam quia conficiendi celeritate ſuperat, ob hoc ipſum fortaſſe, deligenda a multis videbitur, videlicet quibus optumũ eſt aut nunquam laborare, aut quam citiſſime interire.

Reſtat magna & memorabilis conſolatio, ſi vnde ſerpens hic morbus principia ſua ducat, inueſtigabimus. Tum enim ni-

mis affectus cõtrahetis,si ciusdẽ causam vobis aperiã. Et huius quidem facilis est inuẽtio, Si periculum effugere vultis, virtutis quicquid gestatis in sinu apponite, at hæc eadem vereor non calumniabitur. Medicorum est ratio, pestilentiam ab aëris infectione proficisci, neque hoc inepte ijdem tradunt. Ego autem censeo, quoties peruagante peste Coloniarum agros infinitorũ hominum accidit interitus, toties omniũ rerum opifici Deo, nostra opera inuisa esse atque ingrata, qui vt sceleris nos commonefaciat nostri, inaudita flagita hoc modo peruertit. Atque hæc quidem præ ceteris longe est verissima ratio. Illa vero cur eueniat, quis magis probabiliter dixerit? Animaduertite ordinem seriemue causarum, simulque antiqua percurrite sæcula, rem sic esse non ex abstrusis scripturarum locis inueniemus. Ergo tibi causa tanti mali existens o homo, quid timor loco mentẽ mouet? Tum, cum maxime prudentem esse decet, corda pauor pulsabit? Sic pueri in tenebris pauitant, finguntque futura. Satis iam pronus terram spectasti. Rapidissimæ auaritiæ tandem sit modus, intensos libi-

dinis

dinis arcus pręsentis morbi grauitas emolliat, ira immoderata flaccescat, Inuidia pallida merito relegata procul aliquo absit, cesset dolus, fraus tectina. Cito voluptatũ periturarum ne ducant te amplius deliciæ. Iam animo recole quam turpe est diffluere luxurea, si non ex ebrio percepisti, tandem ex sobrie disce, Tibi quidem vnicum temporis momẽtum immortalitatis instar erit? Vita hominũ breuis, res fugacissima, vmbræ somnium. Erectos tolle ad sydera vultus, castigatio ista plurimum adferre emolumenti apparebit. Enimuero nemini aliter existimandum, quam pestilẽtiam istam insidiatricem humanæ vitæ, pro peccato magno accidere, haud tali consilio, vt vna vltio diuina omnes perdat, sed hominum animos cura aliqua de prouidentia tangat, quo bonis operibus soluti, amplius in vtrãque aurem ociosi non dormiant. Quęret aliquis. Si Deus homines pro dictis & factis atrocibus, scelestis, nefarijs vlcisci volet, num alio quam isto erit potis modo hoc efficere? Quid ni, Multa flagella peccatorũ, tum etiam magna potentia Dei est, qui si volet, antequã rite conceperit, totam ma-

chinā cœli, deorſum verſus, minimis momentis inclinet, nedum Deo factu difficile eſſet, rupto Acheronte vaſtis voraginibus viuos immergere. Sed miſericordia Dei ipſa ſolet occurrere miſeris aliqua vel leuiſſima vel nulla etiam oratione euocata. Ideoque ſi nihil de donis D. Opt. Max. plurimis nec gratius nec admirabilius miſericordia eſt, vobis iam ſæuire an ſuccurrere videtur? nam quid hoc eſt quod perditiſſimis pro inenarrabili bonitate parcit Deus, parcit autem dum pœna leuior culpa eſt. Quænam flagitioſiſſimis apud inferos ſupplicia inferuntur, & huius temporis ſceleribus non condigna erunt? Et noſtrum aliquis male ſanus æſtuatione ſua, relicta omnis rationis vi tanquam venena aut mortē eructantem peſtilentiam execrabitur? Hoc munus Dei eſt quo ſuum genus ditat, vos vero maleficium exiſtimetis? An parum videtur, ſi miſerāter Labentes punit? Quod ſi a Deo conſtitutum eſt, vt hominum peccata iuſtis vlciſcatur modis, nec morte ipſa nec quouis ſupplicij genere, quantumlibet diro, tantum opprobrium, tantumque ſcelus perſoluere valebimus. Quid enim

Idololatria, cędes, rapina, fornicatio, adulterium, viduarum & pauperum opperſſio, Orphanorum, contemptus, cum violētia, tum iuris & æquitatis violatio, cæteraque huiuſmodi præmium an pœnam merentur? At Deus debitis contra nos non procedit modis, præſertim cum nihil horum quin ſit morte dignum, ſed erga humanũ genus inaudito amore flagrans, vulnus inuito infligit, quod ipſum homines in ſacrã viam nec trahere poteſt nec ducere. Nempe peſtilentia territi atque animis conſternati quidem, quia ob hoc magis humanũ genus obſtupeſcit, quod ſe magno, tum periculo expoſitum videt, ſed ſceleris inſigniſque admiſſi facinoris nequicquam pœnitet. Magna ſane illa clementia & manſuetudo Dei noſtri, qui cum pro peccatorũ grauitate nos inclementer accipere poſſet, comitate retinetur. An temere in odiũ noſtri concitabitur, ſi tantam inhumanitatem in hominibus ſpectabit? Etſi placidus eſt circa delinquētes, tamen interdum ſolet ſubiraſci. Quid igitur dicam, crudeles nos dare pœnas? veſtrũ nemo eſt quin intelligat, D. Opt. Max. diuina clementia

vſqueadeo excellere, vt is facilitate infimis par eſſe videatur. Eo vſque omnibus indulget, quouſque præcipites non ferantur. Tũ enim ſui memor generis, ſcilicet cum ſe recordantem humanæ fragilitatis miſeratio ſubit, ad correctionem & emendationem vitæ veteris, non præcipuas petit pœnas, ſed leues & mediocres infert, quæ diligentiæ, ſobrietatis, iuſtitiæ magiſtræ ſint. Vt enim ſæpenumero latratu volutabris pelluntur, ſylueſtribus apri, ſic ille eaſdem opponit labi noſtræ, quo ſic turbatos nos in caſſes ſuos agat. Illa vero maxima eſt miſeria, quando mortales expectatio mortis exagitat vndique impēdens. Nemo tam imperitus eſt, vt neſciat ſibi quandoq; moriendũ, & cum tergiuerſabitur, ſe terga dare morti inſequenti. Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, quod ſi præcando, vt protraham a Deo impetrem, quouſque extendam? In quantum velis, ſeram differ mortem, ratum atque fixum, id eſt, magna & æterna neceſſitate duceris, eo ibis, quo omnia eunt.

Tendimus huc omnes metam properamus ad vnam,

Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Ait Poeta

Series sæua ac indefessa nec arte nec ope vlla flexibilis, cui varii læthi falces patitur, ita illigatos sibi vna mors omnes trahit. Tu autem demens persuasum habebis, te non aliquando ad id peruēturum, ad quod perpetuum properas? Medius si quid futurum scire vis, tantus tamque numerosus vita ante te defunctorum, eorumque quos post te mors iugulabit, exercitus animo occurrat, expressa documenta videbis. Nēpe vbi pater, vbi mater; vbi inquam maiores omnes, nonne vbi omnes quoque post te erunt? Dum timetis ne a morte iugulemini, nolite vosipsos iugulare, ne mortem morte deuitare videamini: Non affligitur sapiēs sollicitudine futurorum, nec luctu, nec desiderio, torquetur. Quid enim hoc aliud esset, quam lētitudine exitus, sibimet graues cruciatus adferre? Nam cum rei alicuius iniuriam expauescimus, eo quod auguramur nos manere, ac si iam in ceruices incidisset, ita vrgemur: Etenim paruulum differre, patiaris aduersa, an expectes, scribit Plinius. Vt enim in corporibus humanis

nis certi venientis morbi certa ſigna præcurrunt, Sic infirmus animus multo antequam eum vlla infœcilitas atterit, præſumit tamen illam & ante tempus cadit. Plena hæc omnia ſunt futilitatis. Quid enim leuius, ait ille Seneca, plenus fidei atq; doctrinæ, quam angi futuris, nec ſe tormento reſeruare, ſed accerſere ſibi miſerias, & admouere, quas optumū eſt differre, ſi diſcutere non poſſis. Indigna res quidem audita vel cognita peſtilentia, mirus quidam tum pauor ſoleat hominum animos inceſſere. Non quia mouet quicquam proximi fortunà, ſed vitę proprię timeant. Vtrum oculi mihi cœcutiunt, an ipſos cœcos reddit diutiſſime viuendi cupiditas? Quandoquidem mihi non perſuadeo eos communi hominum periculo duci, ſed de vitæ ſuæ diſcrimine, haud falſum eſt, quod multa & vana cogitant. Ac ſi Orbi omnium fortunarum ſuarum illis pereuntibus, ruinæ impenderent. O cœca, O ſtulta mens? Itane præclare vobiſcum agetur, ſi ſoli incolumes & ſuperſtites eritis? Nihil vos lamenta proximi, nihil dolores, nihil ex imo pectore miſere proſtrati, ducta ſuſpiria mouebunt?

nebunt? An infinitorum atque plurimorum alicui potior est sua salus? Atqui ego officium boni viri nedum Christiani esse duco, diffidentes vitæ suæ confirmare, afflictos erigere, perditosq; recreare, ac tum ne cogitare quidem de morte, quãdo charitas mutua humanitatis officia postulabit. Possem persequi per multa delectamẽta rerum humanarum, sed quis tam durus qui non hæc eadem, tanta quanta sint, cõtemnat, si ille solus valetudine integer; vitæ autem suæ socios vniuersos, tanta durities, tantus labor, denique tantum exercet periculum? Dicite nonne inanum est capite truncos de sectionibus esse sollicitos? & vos præcipua hominis parte amissa, de infimis cogitatis? Neq; affinium neque cognatorum naturæ vinculo arctissimorum, valetudo aduersa tantillum vos flectet, vt pestilentia laborantibus opẽ aliquam feratis? Hoccine aliud est quam anima perdita vitali, magnas de misero corpore concipere sollicitudines? vos absque vllo amicorum iucundo vsu, sodaliumque collegio honesto, in hac vita esse volẽtis, præsertim cum huic insit spiritus vitaliter

vegetus

vegetus & alens omnia? Nempe nihil morantes iſtas dotes, ſolos in hoc mundo viuere vos poſſe putatis? Nihil ego contulerim iocundo ſanus amico ſcripſit Horat. Itē Euripides apud Plutarchum, Dulce eſt tueri hominis amici lumina. At mihi tolerabilius videtur mori, quam ſine amicis viuere. Neque errant qui amicitia humanam vitam conſtare arbitrantur, qua, pręcipua voluptatis & vſus commoda aſſequimur. Quemadmodum enim citra ignē & aquam, non exiſtit hominū vita, ita nec ſine conſuetudine & opera familiarium. Et vt nihil eſt iocundius igni neque vtilius aqua, ita nec amicitia quicquam iocūdius & vtilius. Non deluſos a me arbitremini dum hæc expono. Omnes per ſæpe in hac vita aliorum cōſilio & prudentia opus habemus, præſertim nobis qui viuamus domi non eſt, ſed hęc omnia ex communi rerum fortuna dependent. Enimvero quomodo alicui vita hæc ſuauis eſſet, quæ ſua perfectione minime conſtat, ſcilicet inter tanta rerum pericula & diſcrimina, nec tutoribus nec amicorum pręſidio tuetur? videlicet hominum vita obſcura habēda eſt

quæ non vſum habet amicitiæ. A mico, ſocio, affine ſpoliato, immatura mors nō poteſt accidere. Nam vitę potiore parte amiſſa quis de reliquo multum curabit? Prius mihi vita carere volupe eſſet, quam contubernio amicorum deſtitutus horam degere. Magna vitæ meæ pars amici, quibus a peſtilētia diſperditis, omnis ætas eſſet odioſa, nedum peſtilentia quamplurimos in vrbe petens, magnopere tum pertimeſcēda ſit. Ac ideo quoque vt quilibet viſitet ſuadeo, affines, cognatos, amicos, familiares, & imprimis huiuſmodi, quos mutua fides iureiurando ſtrinxit, cum eos ardere videbit peſtilentiæ doloribus, quanticunque erunt. Et quanquam periculum eſt, ne illi aliquid mali affricent, ſpernendum tamen hoc eſt, propterea quod grauiſſimum eſt homini, ſine familiaribus ac neceſſarijs viuere, adeo vt ſi quis inſaniret ſatis ſua ſponte & detrectaret, inſtigari ad hoc deberet. Nam quid malum moror, vitā omni amænitatę orbatam? Talis vita mors ipſa eſt, faceſſant qui in iſto tam iniuſto & frigido metu deliteſcunt, quaſi vero metu quodammodo ſuam a peſtilentia conſeruare

uare homines vitam valeant, Iustus, ex ante actæ vitæ turpitudine, metus conceptus nascitur si spurcam vitiosam, immanem viuendi cõsuetudinem, tanti mali esse caussam existimemus: at pereuntibus fere vitę socijs vniuersis, eorundem sorte nequicquam distrahi, inque summo & communi omnium discrimine, nullam aliorum curam habentes, ad instar Aristippi, pro sua tantum anima timere, hominũ quid dicam esse; improborum, an immitium? In omnibus rebus videndum est quatenus. Nam præscribit ratio in homine, sicuti aliarum rerum omnium, etiam timendi modum, id est mensuram quãdam & moderationem. Et si pro natura cuiusque ex tempore, aliqua de causa animi fit commutatio, tamen magis offendit grauior, quam leuis. Studiose semper cauenda est præceps animi perturbatio, & cum pestilẽtia immanitate sua ciuitatem depopulatur, toruitate quadam naturæ dura, & inflexibili constantia præditos esse decet. hoc enim a pestilentia salubritates corporis dicunt conseruare. Egregie quidem patres studuere, vt in pestilentiæ vastitate, modum quendam timoris

motis adhibentes, & ordinem, pietatem, & firmum animum conseruarent. Nequetãquam cautes immobiles, sic illi tanta animi tranquillitate, nullis affectuum motibus erant obnoxij, sed in summa, illa apathia, ratione constabat. Nam cum se pestilentiæ expositos, insequi a morte videbant, eadem impendente sic declinauerunt, vt spe reliquæ tranquillitatis, præsens morbi genus, graue & internecinum, prudenti ac sagaci consilio superauerint. Primum abstinendi continendique rationibus dicuntur, & a voluptatum labe cauisse, & integras & illesas corporis vires retinuisse. Sic traditum est magnum illum Socratem, in illius pestilentię crudelitate, quæ in bello Peloponnensiaco imprimis ipsam Atheniensium ciuitatem perdidit, temperantia, vitæ suæ tempora, a valetudine inoffensa, vixisse. Deinde quod ad euitandum luem plurimum conducere videbatur, nullum sibi ad vehementer extimescendũ tempus seponebant. Nam quoties miseris cladem impẽdere animaduerebant, sæpe secum retractantes, quã turpi desidia, deserta exoleuerat disciplina pietatis,

tatis,a numine se premi intelligebant.Porro hostilia pestilentiæ non ad modum curabant,quę statim credebant propulsari,cũ se ad emendatam vitæ & officij regulam cõtulissent,videlicet,haud displicebat pietatis præsidio a capite periculum depellere.Talibus solebãt isti medicaminibus fatale pestilentiæ malum supprimere,Tum vnusquisque certatim virtutis vestigia sequens, ætatis suæ errata,fructu aliquo sarcire studebat,neque solum animi eorum a factis suis,sed aures quoque a commemoratione abhorrebãt. Quod si autem a præscripto officij sui recessissent,hoc temporis magnum studium capiebant,conseruandi diuina præcepta,cũ omni modestia.Enimvero indole nondum ita peruersa,qua nũc sunt homines,sed integra,constante, synceraque animi virtute præditos, adhæc fide illa nimium perfectos, credibile est optuma hęc arma sumpsisse.Quocirca antea in orationibus remissi tum acres, in ieiunio negligentes tum diligentes, in elemosynis elargiendis parci tum multum liberales.Charitatis officia sedulo reparabant, nam omnes post habebant sibi res,vt parfuit,

fuit, poſtquam tantopere id Deum velle animum aduertebant. Ita peſtilentia malum minitans iſtis terrorem incuſſit, non vt inaniter mortis diem extimeſcerẽt, ſed quod nunc hominis ingenium & poteſtas eſſe non videtur, vitam tum renouarent, ac mentem in ſe, duræ mortis memorem efficerent. Hoc conſilium erat antiquorum. Quis nunc inſultabit vehemẽtius, aut volitabit in hoc inſolentius, aut bonos amplius calumniabitur? vobis ſtulti fuiſſe videantur virtutis ſequaces, nihil vos morãtur. Satis eſt ipſis bene vixiſſe. Virtute rationis conſtantis conuenientiſque euenit, vt animi robore tantum ſuperarent periculum. Porro ſi docere voluero quo pacto ſe gerere ſunt ſoliti, ſapientibus potius quã algis, annumerandos dicetis. Qui dum is morbus ferueret, abiecto procul omni humano cõſilio, religionis & pietatis præſidijs audaciter contraibant, de corpore non tam, quam de animo ſolliciti. Et cum peſtilentiam intuerentur ſtupentes, continuo ſe recipiebant & ad ſe redibant, iugem patrati ſceleris recordationem, domeſtico illo teſte ſuggerente. Hoc præcipuum ipſis

erat fulcimentum. Dehinc diuinę bonitati fidentes, haud proprijs innixi viribus, deprecando, illacrumando, exclamando, veniam ac ſalutem ſperabant, nihil omittentes quod ſupplices animos teſtaretur. In ſolum Deum oculos intendere neglectis cæteris, miſeratione erga alios duci, charitatis radijs illuſtres eſſe expoſcebãt. Reſtinguentes omnem iniuriam atque adeo affectum, quem nec tempeſtas perimat, nec vlla clades hodie interimat. Nõne in his tanquam ſacrario fuerit ſignum virtutis? Nã ſi de his loquar, aduerſis rebus merſis peſtilentiæ intolerantiores fuiſſe, effecit hoc cõmiſeratio ex alterius ægritudine proueniens, qua ſi ſubuenire potuiſſent, inueniſſes paratiſſimos. Pro opibus ſuis ſatis apte, opportune, conuenienter, pecunia atque omni alia bona operatione infimis quiſque ſuppeditabat, de auro ne curantes quidem, quod antea ſumma cum diligentia quæſitum, cumulauerant. Scilicet, tum charitate pura tempus redimentes, quod male antea collocarant. Memini cum ad huiuſmodi res noſtra deſcendiſſet oratio, chariſſimos parentes nobis narrare ſolitos,
homines

hómines olim tanto charitatis ardore flagrasse, vt cum hic morbus increbuisset, nõ prius indulcem declinarent lumina somnum, quam de vicinorum amicorumque valetudine intellexissent: Rursus domo mane egredientes, qua tum essent incolumitate, ante alia omnia, verbis a domesticis inquirere consuetos. Plane diuerso quã hodie fit instituto. Demum ita firmis animo ordinibus composito, quantum homini permissum est, ad ea quæ ingenium humanum repperit remedia se parabant, in vtrunque aut mori, aut viuere, parati. At nunc prius quę corpori sunt bona quęruntur, sæpenumero vel animę cum dispẽdio. Adeo, proh dolor, euãgelium cunctorum ánimos obrepsit, rationis dicto ita audientes, vt equus indomitus calcitrans præter solitum. Qui si in tanto vitæ discrimine, firma animi tranquillitate frui mallent, ad regulam se darent patrum, longe emendatissimam. Metu quod frustra euitare conãtur, summissi atque humiles, assidua oratione, declinarent periculum. Illa euadendi ratio certa est, tum petentibus in fide nihil denegat Deus. Memorabile hic occurrat

animis vestris exemplar, Dauid ille cuius de hac re in libris Regum fit mentio, per triduum pestilentia sæuiente, ac septingentis virorum milibus interemptis, exclamauit, ego sum qui peccaui, ego egi inique, vertatur obsecro manus tua contra me & contra domum patris mei. Ad huius voces statim cessabat pestilentia, populum prius sternens. Quod si omnibus suppetit tam expeditum consilium, an non hoc inquam inique faciunt, qui Dei Opt. Max. vltro commiserantis spernunt affectum?

Videtis tandē rei veritatē & cognoscitis causam. Pro abrotano ambrosia datur. Valeant illæ inquietudines animi, valeāt tam graues mentis euiscerationes. Inutilis pauor non pellit pestilentię contagia. Non sit vobis neglectus pater, non mater, non frater, non soror, cognatorum nemo, nemo familiariū, quos vera amicitia copulauit. Naturæ iura persoluite. Quibus debetis præstate officium. Scitis homines hominum causa esse generatos, infirmos opus habere medico atque etiam auxiliatore. Commiseratio vos tangat, huic adsit humanitas, quæ quam late patet intelligitis.

Metuen-

Metuentis nimium miſera conditio, præſertim hac in re tantillum non confert, quin potius percelebre tanti Ducis inſtitutum ſequimini, a vindicta ceruices proximi oratione liberate, cuius vos authores eſtis; Ita conſecuturi admiſſorum veniam eritis animique veſtri ſummam tranquillitatem.

FINIS.

W

Gratis decet.

Author Cicero lib. 1. officiorum.

Peregrini atque incolæ officium est, nihil præter suum negotium agere, nihil de alieno inquirere, minimeque in aliena Repub. esse curiosum.